

AB

154472




frön 500

VA

0





QVERELA

PACIS VNDIQVE  
*gentium cicctæ profli  
gata'que.*

AVTORE ERASMO  
ROTTERODAMO.



CLARISSIMO PRAESVLI TRA=  
IECTENSI PHILIPPO, E=  
RASMVS ROTERODA=  
MVS S. D.



*G*ratularer tibi Philippe Praesul, non mi-  
nus uitae ornamentis, quam summorum  
ducum imaginibus clarissime, quod tan-  
ti muneris honore sis auctus, ni comper-  
tum haberem, quam inuitus susceperis,  
quamq; grauate optimi maximiq; principis CAROLI  
autoritate fueris adactus, cuius alioqui charitati nihil non  
eras daturus. Atq; haec ipsa res spem nobis certissimam  
facit, fore, ut cum laude perfungaris suscepto, quandoqui-  
dem Plato uir exquisitissimi, planeq; diuini iudicij: non ali-  
os existimat ad rempublicam gerendam idoneos, quam  
*B* eos qui huc nolentes pertrahuntur. Auget autem nostram  
de te fiduciam, quoties in mentem uenit, & cui tu succedas  
fratri, & quo patre sitis ambo profecti. Nam David uir  
eruditus iuxta ac prudens, permultis annis sic locum istum  
tenuit, ut suis ornamentis, plurimum splendoris ac digni-  
tatis addiderit ipsi muneri, per se licet amplissimo. Multis  
modis magnus ac suspiciendus, sed in hoc praecipue salu-  
taris Reipublicae, quod nihil ducebat antiquius sibi, pace  
publica, hac quoque in parte patrem PHILIPPVM  
Burgundiae ducem referens, uirum nulla non re maximu,  
sed tamen pacis artibus, cum primis insignem, & aeternae  
hominum

hominum memorie commendatum. Qui tibi hoc etiam  
 impensius erit exprimendus, non tantum ut filius patri,  
 sed ut PHILIPPVS Philippo respondeas. Intelligit  
 iam dudum tua prudentia, quid abs te populus uniuersus  
 expectet. Triplex onus humeris sustines, patris exēplum  
 ac fratris, tum horum temporum fata, (quid enim aliud di-  
 cam?) nescio quomodo ad bellum pertrahentia. Vidimus  
 ipsi nuper, ut quidam amicis quàm hostibus grauiores,  
 nihil intentatum reliquerint, ne bellorum aliquando fi-  
 nis esset, rursus ut uix expresserint, alij qui Reipub. prin-  
 cipi q; ex animo bene uolunt, ut pacem cum Francis sem-  
 per optandam, hisce uero temporibus etiam necessariam  
 amplecteremur. Cuius sanè rei indignitas, mouit animum  
 meum, ut tum pacis undiq; profligatae querimoniam scri-  
 berem, quo nimirum hac ratione, iustissimum animi  
 mei dolorem, uel ulciscerer, uel lenirem. Libellum  
 ad te, ceu primitiolas nouo episcopo debitas, ✕  
 mitto, quo diligentius tueatur tua cel-  
 situdo pacem utcunq; partam,  
 si non patiar eam obli-  
 uisci quanto ne-  
 gocio no-  
 bis  
 constite-  
 rit. Bene Vale.

Q VERELA PACIS VNDIQVE  
GENTIVM EIECTAE PRO=  
FLIGATAE QVE,  
AVTORE DES. ERASMO RO=  
TERODAMO.



I me, licet immerentem, suo tamen cōmo  
do, sic auersarentur, eijcerent, profliga  
rentq; mortales, meam modo iniuriam  
& illorū iniquitatem deplorarem, nunc  
cum me profligatā protinus fontem o=  
mnis humanae felicitatis ipsi à semet arceant, omniumq; ca  
lamitatū pelagus sibi accersant, magis illorū mihi deflen=  
da est infelicitas, quā mea iniuria, & quibus irasci tantum  
maluisssem, horū dolere uicem, hos cōmiserari compellor.  
Nam utcunq; amantē ab se propellere, inhumanū est, be  
ne merentē auersari ingratum, parentem ac seruatricem  
omniū affligere, impium. Ceterum tot egregias cōmodita  
tes, quas mecum adfero, sibi metipsis inuidere, proq; his  
ultra tam tetram malorum omniū lernam accersere. An  
non hoc extremae cuiusdam dementiae uidetur? Sceleratis  
irasci par est, at sic furijs actos, quid aliud quā deflere  
possumus? Qui non alio sanè nomine magis deflendi sunt,  
quā quòd ipsi sese non deflent, nec alio magis infelices,  
quā quòd infelicitatem suam non sentiunt. Quando non  
nullus gradus est ad sanitatē, morbi sui magnitudinē agno  
scere. Etenim si ego Pax illa diuorū simul & hominū uo=  
cc lauda=

## DES. ERAS. ROTE. AVTORE 3

ce laudata, fons, parens, altrix, ampliatrix, tutatrix, rerum bonarum omnium, quas uel Cœlum habet, uel terra. Si sine me nihil usquam florens, nihil tutum, nihil purum aut sanctum, nihil aut iucundum hominibus aut gratum Superis. Si contra hæc omnia, bellum semel omnium malorum, quicquid usquam est in rerum natura Oceanus quidam, si huius uitio subito marcescunt florentia, dilabuntur aucta, labascunt fulta, pereunt bene condita, amarescunt dulcia, denique si res est adeo non sancta, ut omnis pietatis ac religionis sit maxime presentanea pestis. Si nihil hoc uno infelicius hominibus, nihil inuisius Superis. Quæso per Deum immortalẽ, quis credat istos homines esse, quis credat ullam sanæ mentis micam inesse, qui me talem, tantis impendijs, tantis studijs, tanto molimine, tot technis, tot curis, tot periculis, student eijcere, tantumque malorum uelint tam chare emere? Si me ad istum modum spernerent feræ, leuius ferrem, & in me admissam contumeliã, naturæ imputarem, quæ ingeniũ immite in se uisisset, si mutis pecudibus essem inuisa, condonarẽ inscitie, propterea quod his ea uis animi negata sit, quæ sola dotes meas queat perspicere. At o rem indignã ac plusquam prodigiosam, unũ animal ædidit natura, ratione præditũ, ac diuinæ mentis capax, unum beniuolentiæ concordieque genuit, & tamen apud quantumlibet: efferas feras, apud quantumuis brutas pecudes, mihi citius locus sit, quã apud homines. iam tot orbium cœlestium, licet nec motus sit idem, uec uis eadem, tamẽ ijs tot iam seculis constat uigentque fœdera. Elementorum pugnantes inter se uires, æquabili libramine pacem æternam tuentur,

A 3 &amp; in tan-

PACIS QVERIMONIA

Et in tanta discordia, consensu cōmeritoq; mutuo concor-  
 dia alunt. In animantiū corporibus quā fidus membrorū  
 inter ipsa consensus, quā parata defensio mutua? Quid tā  
 dissimile quā corpus & anima? Et tamen quā arcta necessi-  
 tudine cōnexuerit hęc duo natura, nimirum declarat ipsa  
 diuulsio. Prōinde ut uita nihil aliud est, quā corporis &  
 anię societas, ita sanitas oīm corporis qualitātū concētus  
 est. Aniantia rōnis expertia in suo quęq; genere ciuilitate  
 concorditerq; degūt. Armentatim uiuūt elephanti, grega-  
 tim pascūtur sues & oues: turmatim uolant grues & gra-  
 culi, habent sua comitia Ciconię, pietatis etiam magistrę,  
 mutuis officijs sese tuentur Delphini. Nota est formicarū  
 & apum inter ipsas concors politia. Sed quid de his loqui  
 pergo, quę tam & si rōne uacant, sensu nō uacant? In ar-  
 boribus, in herbis amicitia possis agnoscere. Steriles sunt  
 quedā, nisi marē adiungas, uitis ulmū amplectitur, uitem  
 amat persica, vsq; adeo quę nihil sentiunt, tamē pacis be-  
 neficiū sentire uidentur. Sed hęc rursum ut sentiendi uim  
 non habēt, ita quōd uitā habeant, ijs quę sentiunt finitima  
 sunt. Quid eque brutum atq; saxorū genus? Dicas tamen  
 his quoq; pacis & concordie sensum esse. Ita Magnes fer-  
 rum ad sese trahit, attractum tenet. Quid quod inter ima-  
 nissimas etiam feras conuenit? Leonum inter ipsos feritas  
 non dimicat. Aper in aprum non uibrat dentem fulmineū,  
 Lynxi cum lynce pax est, Draco non seuit in draconē, lu-  
 porū concordiam etiā prouerbia nobilitarunt. Addam,  
 quod magis etiā mirum uideatur, impij spiritus, per quos  
 cœlitum atq; hominū concordia primū disrupta est, & ho-  
 die rum=

uita quid  
 societas  
 amia herbarum  
 saxorum  
 bestiarum  
 demonum



die rumpitur, tamē inter se foedus habent, suamq; illā qua  
 lem cunq; tyrannidem consensu tuentur, solos homines,  
 quos omniū maxime decebat unanimitas, quibusq; cū pri  
 mis opus est ea, neque natura tam alijs in rebus potens &  
 efficax conciliat, nec institutio coniūgit, nec tot ex consen  
 su profectura cōmoditates conglutinant, nec tantorū de  
 niq; malorū sensus & experientia, in mutuū amorem re  
 digit. Figura cōmunis omniū, uox eadem, & cum cætera  
 animantium genera, corporum formis potissimū inter se  
 differant, uni homini indita uis rationis, quæ ita sit illis  
 inter ipsos communis, ut cum nullo sit reliquorum ani  
 mantium cōmunis, uni huic animanti sermo datus, præ  
 cipuus necessitudinum conciliator. In sita sunt communi  
 ter disciplinarum ac uirtutum semina, ingenium mite, pla  
 cidumq; & ad mutuam beneuolentiam propensum, ut  
 per se iuuēt amari, & iucundum sit de alijs benemereri,  
 nisi quis prauis cupiditatibus, ceu Circes pharmacis cor  
ruptus, ex homine degenerarit in beluam. Hinc est uideli  
 cet, quod uulgus quicquid ad mutuam beneuolentiam per  
 tinet, humanum appellat. Addidit lachrymas, exorabilis  
 ingenij documentum, quo si quid forte inciderit offense,  
 & amicitie serenitatem nubecula aliqua offuscarit, faci  
 le redeant in gratiam. En quot rationibus natura concor  
 diam docuit? Nec his tamen contenta pacis lenocinijs a  
micitiam homini non solam iucundam esse uoluit, uerum  
 etiam necessariam. Eoq; tum corporum, tum animorum  
 dotes ita partita est, ut nemo sit omnium tam instructus,  
 quin infirmorū etiam officio nonnunquam adiunctur, nec

das communis

sermo

Disciplina

lacryma

PACIS Q VERIMONIA

*maximonia*

eadē attribuit omnibus, nec paria, ut hæc inæqualitas mutuis amicitijs æquaretur. Alijs in regionibus alia proueniunt, quo uel usus ipse mutua doceret commertia. Ceteris animantibus sua tribuit arma, præsidiaq; quibus sese tuerentur, unum hominem produxit inertem, atq; imbecillum, nec prorsus aliter tutum, quã fœdere, mutuaq; necessitudie. Ciuitates repperit necessitas, & ipsarũ inter se societatem docuit necessitas, quo ferarum ac prædonum uim iunctis uiribus propellerēt. Adeo nihil est in rebus humanis, quod ipsum sibi sufficiat. In ipsis statim uitæ primordijs perisset hominum genus, nisi conditum propagasset coniugalis concordia, nec enim nasceretur homo, & mox natus interiret, atq; in ipso uitæ limine uitã amitteret, nisi obstetricum amica manus, nisi nutricum amica pietas, succurreret infantulo. Atq; in hunc usum uehementissimos illos pietatis igniculos insecuit, ut parentes etiã illud ament, quod nondum uiderunt. Adiecit mutuam liberorum erga parentes pietatem, ut illorũ imbecillitas horum præsidijs uicissim subleuaretur, fieretq; illa cunctis quidē ex æquo plausibilis, sed græcis aptissimæ dicta *δυντὶ πειλάργωσις*. Accedunt huc cognationũ & affinitatum uincula. Accedit in nonnullis ingeniorum, studiorum, formæq; similitudo, certissima beneuolentiæ conciliatrix, in multis arcanus quidam animorum sensus, ac mirus ad mutuum amorem stimulus, quem ueteres admirati numini ascribebant. Tot argumentis natura docuit pacem concordiamq; tot illecebris ad eam inuitat, tot laqueis trahit, tot rebus compellit. Et post hæc quæ nam  
ista

## DES. ERAS. ROTE. AVTORE 5

ista tã ad nocendum efficax Erinnys, his omnibus disru=  
 ptis, disiectis, discussis, insatiabilem pugnandi furiam in=  
 seuit humanis pectoribus? Nisi primum admirationẽ, de=  
 inde sensum etiam mali, adimeret assuetudo, quis crederet  
 humana mente præditos istos, qui sic iugibus dissidijs, liti=  
 bus, bellis inter sese certant, rixantur, tumultuantur?  
 Postremo rapinis, sanguine, cladibus, ruinis sacra pro=  
 fanaq; miscent omnia, nec ulla tam sancta foedera: quæ  
 illos in mutuã perniciẽ debacchantes queant dirimire. Ut  
 nihil etiã accesserit, satis erat commune hominis uocabu=  
 lum, ut inter homines conueniret. Sed esto nihil apud ho=  
 mines profecerit natura, quæ plurimũ ualeat ut in beluis.  
 Ita ne & nihil apud Christianos ualuit Christus? parũ  
 efficax sit doctrina naturæ, quæ maximã uim habet in his  
 quoq; quæ sensu uacant. Ceterũ cum hac multo præstan=  
 tior sit doctrina Christi, cur ea se profitẽtibus non persua=  
 det id qd' unũ omnium maxime suadet, nempe pacẽ mutuã  
 amq; beneuolentiã? Aut saltẽ hanc tã impiam efferaq; bel=  
 ligerandi insaniam dedocet? Cũ hominis uocabulũ audio  
 mox accurro, uelut ad animal mihi proprie natũ, confidẽs  
 fore ut illic liceat acquiescere, cũ Christianorũ audio titu=  
 lum, magis etiã aduolo, apud hos certe regnaturã etiã me=  
 sperans. Sed hic quoq; pudet ac piget dicere, Fora, Basili=  
 cæ, curiæ, tẽpla sic undiq; litibus perstreperunt, ut nusquam  
 apud Ethnicos æque. Adco ut cũ bona pars humanæ cala=  
 mitatis sit aduocatorũ turba, tamen hæc etiã ad litigantiũ  
 undas, paucitas sit, ac solitudo, Ciuitatẽ aspicio, spes ilico  
 oboritur, inter hos saltẽ cõuenire, quos eadẽ cingunt mœ=  
 a 5      nia, eadem

PACIS QVERIMONIA

nia, eadem moderatur leges, & uelut una uectos nauis cō-  
 mune continet periculū. Sed ò me miseram, quæ hic quoq;  
 dissidijs omnia uitiata cōperio. Adeo ut uix domū ullā re-  
 perire liceat, in qua mihi sit dies aliquot locus. Sed plebem  
 omitto, quæ maris ritu, suis aestibus rapitur, in principum  
 aulas, uelut in portum quendā me recipio. Erit inquā certe  
 apud hos locus paci, plus hi sapiunt quā uulgus, ut qui sint  
 plebis animus, atq; oculus populi. Tum eius uices gerunt,  
 qui doctor est & princeps cōcordiæ, à quo quidē cū omni-  
 bus, tum his præcipue sum cōmendata. Et omnia bene pol-  
 licentur. Video blandas cōsalutationes, amicos cōplexus,  
 hilares comotationes, cæteraq; officia humanitatis. At ò  
 rem indignā, apud hos nec umbram ueræ concordie licuit  
 cernere. Fucata, fictaq; omnia, factionibus apertis, clācu-  
 larijs dissidijs ac simultatibus corrupta uniuersa. Deniq;  
 adeo apud hos non esse sedē paci comperio, ut hinc potius  
 omniū bellorū fontes ac seminaria. Quo me posthac cōse-  
 ram infelix, posteaquā toties sefellit spes? At principes ma-  
 gni sunt potius quā eruditi, magisq; ducuntur cupiditati-  
 bus, quā recto animi iudicio. Ad cruditorū greges cōfugiā,  
 Bonæ literæ reddūt homines, Philosophia plusquā hoies.  
 Theologia reddit diuos. Apud hos certe dabitur conque-  
 scere, tot actæ ambagibus. Verū prohdolor, en hic quoq;  
 bellorū aliud genus, minus quidem cruentū, sed tamen nō  
 minus insanum. Schola cum schola dissidet, & ceurerum  
 ueritas loco commutetur, ita quedam scita non traiciunt  
 mare, quedam non superant alpes, quedam non tranant  
 Rhenum, imò in eadem academia, cum rhetore bellum est  
 dialectico

plebs  
 aulici

principes

doctores scien-  
 tiarum

## DES. ERAS. ROTE. AVTORE. 6

dialectico, cū iurecōsulto dissidet Theologus. Atq; adeo in  
 eodem professionis genere, cum Thomista pugnat Scoti-  
 sta, cū Reali Nomīalis, cū Peripatetico Platonius adeo ut  
 ne in minutissimis quidē rebus inter hos conueniat, ac se-  
 penumero de lana caprina atrocissime digladiētur, donec  
 disputationis calor, ab argumentis ad conuitia, à conuitijs  
 ad pugnos inrudescat, & si res pugionibus, aut lanceis  
 non agitur, stylis ueneno tinctis, sese confodiunt, dentata  
 charta dilacerant inuicem, alter in alterius famam letalia  
 linguarum uibrant spicula. Quo me uertā: toties exper-  
 ta mihi data uerba? Quid superest, nisi una ueluti sacra an-  
 cora Religio? Huius professio licet sit Christianorū omniū  
 communis, tamē eam isti peculiariter profitētur titulo, cul-  
 tu, ceremonijs, qui uulgo sacerdotū cognomento commen-  
 dantur. Hos itaq; procul intuenti cūcta spem faciunt, por-  
 tum mihi paratū esse. Arrident uestes candidæ, meoq; co-  
 lore insignes, uideo cruces pacis symbola, audio dulcissi-  
 mum illud fratris cognomen, eximie charitatis argumen-  
 tum, audio salutationes pacis, leto omine felices, cerno re-  
 rum omniū communionem, coniunctum collegiū, templū  
 idem, leges easdē, conuētus quotidianos. Quis hic non cō-  
 fidat paci locum fore? Sed ò rem indignam, nusquam ferē  
 collegio conuenit cū episcopo, parū hoc, nisi & ipsi inter  
 sese factionibus scinderentur. Quotus quisq; sacerdos est:  
 cui non sit cum aliquo sacerdote lis? Paulus rem non ferē  
 dam censet, quòd Christianus litiget aduersus Christianū,  
 & sacerdos cum sacerdote, episcopus cum episcopo cer-  
 tat? Verum his quoq; forsità ignoscat aliquis, quod lōgo iā  
 usu

*Theologi et  
 monachi*

PACIS Q VERIMONIA

usu propemodū in prophanorū consortiū abierunt, po-  
 steaquā eadem cum illis cœperūt possidere. Age fruantur  
 ij sanè suo iure, quod ceu præscriptione sibi uindicant.  
 Vnum hominū genus superest, qui sic astricti sunt religio-  
 ni, ut etiā si cupiant, nullo pacto queant excutere, nō ma-  
 gis profecto, quā testudo domū. Sperarem apud hos mihi  
 fore locum, nisi toties frustrata spes me prorsus despera-  
 re docuisset. Et tamen ne quid intentatum relinquam, expe-  
 riar. Quæris exitum? A nullis resiliij magis. Nā quid spe-  
 rem, ubi religio cum religione dissidet? Tot factiones sunt,  
 quot sunt sodalitia, Dominicales dissident cū Minoritis, Be-  
neditini cum Bernardinis, Tot nomina, tot cultus, tot ce-  
rimonia studio diuersa, ne qd omnino cōueniret, sua cuiq;  
placent, & aliena damnat, oditq; quisq;. Quin idem sōda-  
 litium factionibus scinditur, obseruantes insectantur Co-  
letas, utriq; tertium genus, quod à conuentu cognomen ha-  
bet, cum nihil inter istos conueniat. Iam ut par est omni-  
 bus rebus diffisa, optabā uel in uno quopiam monasterio-  
 lo latitare, quod uere tranquillū esset. Inuita dicam, quod  
 utinam non esset uerissimum, nullū adhuc reperi, quod nō  
 intestinis odijs ac iurgijs esset insectum. Pudor sit recense-  
 re, quā nihil de nugis tricisq; quantas cieant pugnas ui-  
 ri senes, barba pallioq; uerendi, postremo ut sibi uidentur  
 impense tum eruditi, tum sancti. Arridebat spes non nul-  
 la, fore, ut alicubi inter tot coniugia qualiscunq; dare-  
 tur locus. Quid enim nō pollicetur, domus communis, for-  
 tuna communis, lectus communis, liberi cōmunes? Deniq;  
 corporum ipsorum ius mutuum? ut unum potius hominē  
 credas

*Secta diuersa*

*coniugis*

credas, è duobus conflatum, quàm duos? Huc quoq; scele-  
 ratissima illa Eris irrepfit, totq; uinculis copulatos diri-  
 mit dissidijs animorũ. Et tamen inter hos citius contingat  
 locus, quã inter eos, qui tot titulis, tot insignibus, tot ceri-  
 monijs, absolutam charitatẽ profitentur. Tandem illud in-  
 uotis esse cœpit, ut saltem in unius hominis pectore dare-  
 tur locus. Ne id quidem contigit, idem homo secũ pugnat,  
 Ratio belligeratur cum affectibus, & insuper affectus cũ  
 affectu conflictatur, dum aliò uocat pietas, aliò trahit cu-  
 piditas. Rursum aliud suadet libido, aliud ira, aliud ambi-  
 tio, aliud auaricia. Et huiusmodi cum sint, non pudet tamẽ  
 illos appellari Christianos, cum modis omnibus dissideãt  
 ab eo, quod Christo præcipuum est: ac peculiare. Vniuer-  
 sam eius uitam contemplare, quid aliud est, quã concor-  
 dia mutuiq; amoris doctrina? Quid aliud inculcant eius  
 præcepta, quid parabole? nisi pacẽ, nisi charitatem mutu-  
 am? Egregius ille uates Esaias, cũ cœlesti afflatus spiritu,  
 Christũ illum rerũ omnium cõciliatorẽ uenturum annun-  
 ciaret, num satrapã pollicetur? num urbium euersorem?  
 num bellatorem? num triũphatorem? Nequaquam. Quid  
 igitur? Principem pacis, siquidem cum omnium optimum  
 principem intelligi uellet, ab ea re denotauit, quam omniũ  
 optimam iudicasset. Neq; mirum ita uisum Esaiæ, cũ Sylli-  
 us Ethnicus poeta hunc in modũ de me scripserit,  
Pax optima rerum, quas homini natura dedit.

Concinit huic mysticus ille Citharœdus, Et factus est inqui-  
 ens, in pace locus eius. In pace dixit, non in tentorijs, non  
 in castris, princeps est pacis, pacem amat, offenditur dis-  
 sidio.

*homo*

*serua Christi*

PACIS Q VERIMONIA

fidio. Rursum Esaias, Opus iusticiæ pacem appellat, idē  
 sentiens, ni fallor, quod sensit Paulus ille, & ipse è Saulo  
 turbulento redditus tranquillus, & pacis doctor. Cū cha-  
 ritatem cæteris omnibus arcani spiritus dotibus antepo-  
 nens, quo pectore, qua facundia meum Encomiū detonuit  
 Corinthijs? Cur enim nō gloriæ sic laudari à uiro tam lau-  
 dato? Is aliàs Deū pacis appellat, aliàs pacem Dei uocat,  
 palàm indicans hæc duo sic inter sese cohærere, ut ibi pax  
 esse non possit, ubi Deus nō adsit, nec illic esse Deus possit,  
 ubi pax non adsit. Itidem & pacis angelos in diuinis libris  
 uocatos legimus, pios ac Dei ministros, ut per se liqueat,  
 quos belli angelos oporteat accipi. Audite strenui bellato-  
 res. Videte sub cuius signis militetis, nimirū illius, qui pri-  
 mus dissidium seuit inter Deū & hominē. Quicquid cala-  
 mitatum sentit mortalitas, huic dissidio debet acceptū fer-  
 re. Friuolū est enim quod argutatur quidā in arcanis lite-  
 ris, Deū exercituum, & deū ultionū dici. Permultū enim  
 interest inter Iudæorum deum, & Christianorum deum,  
 etiamsi suapte natura unus & idem Deus est. Aut si nobis  
 quoq; placent tituli ueteres, age sit exercituum Deus, mo-  
 do acies intelligas uirtutū concentū, quarum presidio ui-  
tia demoliuntur homines piij. Sit ultionum Deus, modo uin-  
 dictam accipias, uitiorum correctionem, ut cruentas stra-  
 ges, quibus Hebræorū libri referti sunt, non ad laniandos  
 homines, sed ad impios affectus è pectore profligandos re-  
 feras. Sed ut quod institutū erat, persequamur quoties ab-  
 solutā felicitatē significant arcane literæ, pacis nomine id  
 faciunt. Velut Esaias, Sedebit, inquit, populus meus in pul-  
 chritudi-

*autor discordiæ*



chritudine pacis. Et alius, Pax, inquit, super Israel. Rursum  
 Esaias admiratur pedes annunciatiū pacem, annun-  
 ciantiū bona. Quisquis Christum annunciat, pacē annun-  
 ciat. Quisquis bellum prædicat, illū prædicat, qui Christi  
 dissimillimus est. Age iā quæ res dei filiū pellexit in terras,  
 nisi ut mundū patri reconciliaret? ut hoīes inter se mu-  
 tua & indissolubili charitate conglutinaret? postremo, ut  
 ipsum hominem sibi faceret amicū? Mea igitur gratia le-  
 gatus erat, meum agebat negocium. Atq; ob id Solomonē  
 sui typum ferre uoluit, qui nobis, εἰρηνοποιός, id est pa-  
 cificus dicitur. Quantumuis magnus erat Dauid, tamen  
 quia bellator erat, quia sanguine fuerat inquinatus, non si-  
 nitur extruere domum domini, Non meretur hac parte  
 gerere typum Christi pacifici. Iam illud interim perpen-  
 de bellator, si prophanant bella, numinis iussu suscepta ge-  
 staq; quid facient quæ suasit ambitio, quæ ira, quæ furor?  
 Si piū regem polluit effusus sanguis Ethnicorum, quid fa-  
 ciet tam ingens effusio sanguinis Christiani? Obsecro te  
 Christiane princeps, si modo uere Christianus es, contē-  
 plare tui principis imaginē, obserua quomodo regnū suū  
 inicit, quomodo progressus sit, quomodo hinc decesserit:  
 & mox intelliges, quomodo abs te geri uelit, nimirum ut  
 summa curarū tuarū pax sit, & concordia. Nato iā Chri-  
 sto, num bellicis tubis insonāt angeli? Clangorem tubarū  
 audiere Iudæi, quibus bellare permissum est. Hæc congrue-  
 bant auspicia, quibus fas erat odiscere inimicos. At genti pa-  
 cificæ longe aliā cantionem canunt pacis angeli. Num clas-  
 sicum canunt? Num uictorias, triumphos, tropheaq; pol-  
 licentur?

*David polluit  
sanguine*

PACIS Q VERIMONIA

licentur? Minime. Quid tandem? pacē annūciant, congru-  
entes cum prophetarū oraculis, & annūciant non ijs, qui  
cædes spirant ac bella, qui feroces ad arma gestiūt, sed qui  
bona uoluntate propensi sint ad concordiam. Prætexant  
quæ uelint suo morbo mortales, ni bellum amarent, nō sic  
iugibus bellis inter se conflictarentur. Age Christus ipse  
iam adultus, quid aliud docuit, quid aliud expressit, quā  
pacem? Pacis omine suos subinde salutatur, Pax uobis, eāq;  
salutandi formam suis præscribit, ueluti unice dignā Chri-  
stianis. Atq; huius præcepti non immemores Apostoli, pa-  
cem præfatur in suis Epistolis, pacem optant ijs, quos uni-  
ce diligunt. Rem præclarā optat, qui salutem optat, sed fe-  
licitatis summam precatur, quisquis pacem precatur.  
Hanc ille toties in omni uita commēdatam, uide quanta so-  
licitudine commendet moriturus. Diligatis, inquit, inuicē  
sicut dilexi uos. Ac rursum, Pacem meam do uobis, pa-  
cem relinquo uobis. Auditis quid relinquat suis? num  
equos? num satellitium? num imperium? num opes? nihil  
horum. Quid igitur? pacem dat, pacem relinquit, pacē  
cum amicis, pacem cum inimicis. Iam illud mihi consy-  
deres uelim, quid à cœna mystica, iam imminente mortis  
tempore, supremis illis precibus flagitarit à patre. Rem  
epinor, haud uulgarem poposcit, qui se sciebat impetra-  
turum quicquid peteret. Pater, inquit, sancte, serua eos  
in nomine tuo, ut sint unum, sicut & nos. Vide quæ so-  
quā insignem concordiam exigat in suis Christus, non  
dixit ut sint unanimes, sed ut sint unum, neq; id quocunq;  
modo, sed sicut nos, inquit, unum sumus, qui perfectis-  
sima &

*Pax uobis*

sima & ineffabiliratione sumus idem, & illud obiter indi-  
 cans, hac una uia seruādos esse mortales, si mutuam inter  
 sese pacem aluerint. Porro quod huius mūdi principes, in  
 signi quopiam suos notant, quo possint à cæteris dignosci,  
 præsertim in bello, uide qua tandē nota Christus insignie-  
 rit suos, non alia uidelicet, quàm mutue charitatis. Hoc in  
 quiens argumēto cognoscent homines uos esse meos disci-  
 pulos, non si sic, aut sic uestiamini, non si his, aut his uesti-  
 mini cibus, non si tantū ieiunctis, non si tantū psalmorum  
 exhausseritis, sed si dilexeritis inuicē, neq; id sanè uulgari  
 modo, sed quēadmodū ego dilexi uos. Innumera sunt phi-  
 losophorū præcepta, uaria sunt Moysi, plurima regū edi-  
 cta, unicū est, inquit, præceptū meum, ut ametis inuicem.  
 Idem orandi formā suis præscribens, nōne in ipso statim  
 initio, mire admonet concordie Christianæ? Pater, inquit,  
 noster. Vnius est precatio, una cōmunis omniū est postu-  
 latio, una domus, eademq; familia sunt oēs, ab uno Patre  
 pendent omnes, & qui cōuenit eos iugibus bellis inter sese  
 conflictari? Quo ore compellas cōmunem patrē, si in fra-  
 tris tui uiscera ferrum stringis? Iam quoniā unum hoc uo-  
 luit altissime insidere suorum animis, quot symbolis, quot  
 parabolis, quot præceptis concordie studiū inculcauit? Se  
 pastorem uocat, suos oues. Et obsecro, quis unquam uidit  
 oues pugnantes cum ouibus? Aut quid faciunt lupi, si grex  
 ipse semet inuicem lacerat? cum se uitis stirpem uocat, su-  
 os uero palmites, quid aliud quā expressit unanimitatem?  
 Portentū uideatur, piaculis procurandū, si in eadem uite  
 palmes cum palmite bellet, & ostentū non est, si Christia-

b nus pu-

*Charitas pro  
 pria Chris-  
 tianay*

PACIS QVERIMONIA

*ea charistia*  
 nus pugnet cum Christiano? Postremo si quid oīno Chri-  
 stianis sacrosanctum est, certe sacrosanctū esse debet, ac  
 penitus animis illorū insidere, quæ CHRISTVS extre-  
 mis illis mandatis tradidit, ueluti testamentum condens, ac  
 filijs ea cōmendās, quæ cuperet illis nunquā uenire in ob-  
 liuionē. Aut quid aliud in his, docet, mandat, præcipit, o-  
 rat, nisi mutuū inter ipsos amorem? Quid illa sacrosancti  
 panis, & calicis philotesij cōmunio, nisi nouam quandam  
 & indissolubilem concordia sanxit? Ceterū quando scie-  
 bat nō posse constare pacem, ubi de magistratu, de gloria,  
 de opibus, de uindicta certamen est, tum penitus affectus  
 eiusmodi reuellit ex animis suorum, uetat in totū ne malo  
 resistant, iubet ut & de male merentibus bene mereantur  
 si possint, bene precentur, male precantibus. Et Christiani  
 sibi uidentur, qui ob quantūuis leuem iniuriolā, magnam  
 orbis partem in bellū pertrahunt? præcipit ut qui in suo  
 populo sit princeps, is ministrū agat, nec alia re præcellat  
 alijs, nisi quòd melior sit, & pluribus profit, Et nō pudet  
 quosdam ob pusillam accessiunculam regni Pomœrijs ad-  
 dendam, tantos ciere tumultus? Docet auium & liliorum  
 ritū in diem uiuere. Vetat sollicitudinē in posterum diem  
 extendere, uult totos è Cælo pendere, diuites omnes exclu-  
 dit à regno Cœlorū, & non uerentur quidam ob pecunio-  
 lam non exolutā, fortasse nec debitam, tantū humani san-  
 guinis effundere? Atq; his temporibus hæ ueliustissimæ su-  
 scipiendi belli causæ uidentur. Profecto haud aliud agit  
 Christus, iubens ut unū quiddam à se discant, miti esse ani-  
 mo, minimeq; feroci, cum iubet relinquī donariū ad aram,  
 nec prius

nec prius offerri, quã cum fratre reditum sit in gratiam, nonne palàm docet rebus omnibus anteponendã esse concordiam, nec ullam uictimã esse Deo gratam, nisi cõmendante me? Respuebat Deus Iudaicũ munus, fortassis hœdum, aut ouem, quòd à dissidentibus offerretur, & Christiani sic inter sese belligerantes, sacrosanctã illam uictimã audent offerre? Iam cum se gallinæ pullos sub alas aggreganti facit adsimilem, quã apto symbolo depinxit concordiam? Ille congregator est, et qui cõuenit Christianos esse miluios? Eodem pertinet quod lapis dictus est angularis, utrunq; parietem cõmittens & continens, et qui cõuenit, ut huius uicarij totũ orbem ad arma cõmoueant, regnaq; regnis cõmittant? Summũ illum conciliatorẽ habent principem, ut iactant, & nullis rationibus ipsi sibi possunt reconciliari. Conciliauit ille Pilatum & Herodem, & suos in concordiam redigere non potest? Petrum adhuc semi-iudeum, qui in presentis capitis discrimine dominum, ac præceptorem tueri parabat, obiurgat ipse qui defendebatur, gladiumq; iubet recondere, & Christianis ob leuissimas causas nunquã non expromptus districtusq; est gladius, idq; in Christianos. An ille se gladij præsidio defensum uelit, qui moriens deprecatur pro necis autoribus? Omnes Christianorũ literæ, siue uetus legas testamentũ, siue nouum, nihil aliud quàm pacem & unanimitatem crepãt, & omnis Christianorum uita nihil aliud quàm bella tractat? Quenam est hæc plusquam ferina feritas, quæ tot rebus nec uinci potest, nec leniri? Quin potius aut Christianorum titulo gloriari desinant, aut Christi doctrinam expri-

## PACIS Q VERIMONIA

mant concordia. Quousq; uita pugnabit cum nomine? In  
signite quantū libet, ædes uestesq; crucis imagine, non a-  
gnoscat Christus symbolum, nisi quod ipse præscripsit, ui-  
delicet concordia. Congregati uident euntem in Cœlum,  
congregati iubentur opperiri Spiritum cœlestem. Et inter  
congregatos se semper uersaturum promiserat, ne quis  
speraret usquam in bellis adesse Christum. Iam igneus ille  
Spiritus, quid aliud est quàm charitas? Nihil igne cõmu-  
nius, citrà dispendiū ullum ignis igni accenditur. Vis autē  
cognoscere Spiritum illum concordia parentem esse? exi-  
tum uide. Erat, inquit, cunctis cor unum, & anima una.  
Tolle Spiritum ē corpore, continuo delabitur omnis illa  
membrorū compago. Tolle pacem, & perit omnis Chri-  
stianæ uitæ societas. Tot hodie sacramentis infundi cœle-  
stem Spiritum affirmant Theologi. Si uerum prædicant,  
ubi peculiaris spiritus illius effectus, cor unum & anima  
una? Sin fãbule sunt, cur tantū honoris hisce rebus defer-  
tur? Atq; hæc sanè dixerim, quo magis Christianos suorū  
morum pudeat, non quo Sacramentis aliquid detraham.  
Nam quòd populum Christianū Ecclesiam uocari placu-  
it, quid aliud quàm unanimatis admonet? Qui cõuenit ca-  
stris & Ecclesiæ? Hæc aggregationem sonat, illa disidi-  
um, si pars Ecclesiæ gloriaris esse, quid tibi cum bellis? si  
ab Ecclesia semotus es, quid tibi cum Christo? Si eadem o-  
mneis habet domus, si cõmunem habetis principem, si ei-  
dem militatis omnes, si Sacramētis ijsdem estis initiati, si  
ijsdem gaudetis donatiuis, si ijsdem alimini stipendijs, si  
cõmune petitur præmiū, quid ita inter uos tumultuamini?

Videmus

Videmus inter impios istos cōmilitones, qui mercede ad cædis peragenda ministerium conducti ueniunt, tantam esse concordiam, non ob aliud, nisi quòd sibi ijsdem militant signis, & pietatem profitentes tot res non conglutinant? Itanc nihil agitur tot Sacramentis? Baptismus cōmunis omniū, per hunc Christo renascimur, & ex cæti mundo, Christi membris inserimur. Quid autem tam idem esse potest, quàm eiusdem corporis membra? Ab hoc igitur, neq; seruus est quisquam, neq; liber, neq; Barbarus, neq; Græcus, neq; uir, neq; fœmina, sed omnes idem in CHRISTO sunt, qui omnia redigit in concordiam. Scythas ita iungit, paululū sanguinis utrinq; gustati è calice, ut pro amico nihil conctetur & mortem oppetere, Ethnicis etiā sancta est amicitia, quam mensa cōmunis conciliauit, & Christianos, coelestis ille panis, ac mysticus ille calix non cōtinet in amicitia? quam ipse sanxit CHRISTVS, quā illi quotidie renouant, ac repræsentant sacrificijs. Si nihil illic egit CHRISTVS, quorsum opus hodie tot ceremonijs? si rem seriam egit, cur sic à uobis negligitur, quasi rem ludicram ac scenicā egerit? Audet quisquā ad sacram illā mensam amicitiae symbolum, audet ad pacis cōuiuuium accedere, qui bellum destinat in Christianos, & eos parat perdere, pro quibus seruādis mortuus est CHRISTVS? eorum haurire sanguinē, pro quibus suum sanguinē fudit CHRISTVS? O' pectora plusquam adamantina, in rebus tam multis consortiū est, & in uita tam inexplicabile dissidium? Eadem nascendi lex omnibus, eadem senescēdi moriendiq; necessitas. Eundem generis principem habent

b 3 omnes,

## PACIS QVERIMONIA

omnes, eundem religionis autorē, eodem omnes redempti sanguine, iisdem oēs initiati sacris, iisdem aluntur Sacramētis, quicquid ex his redit muneris, ab eodem proficiscitur fonte, & ex æquo cōmune est omnibus. Eadem omnium Ecclesia, deniq; præmiū idem omnium. Quin cœlestis illa Hierusalem, ad quam suspirant uere Christiani, à pacis uisione nomē habet, cuius interim Ecclesia typum sustinet. Et qui fit, ut hæc tantopere discrepet ab exemplari? Adeo nihil promouit tot uijs solers natura, nihil ipse Christus perfecit tot præceptis, tot mysterijs, tot symbolis? Vel ipsa mala conciliat & malos, iuxta prouerbiū, Christianos inter se nec bona, nec mala ulla conciliat. Quid humana uita fragilius, quid breuius? quot ea morbis, quot casibus obnoxia? Et tamē cum plus habeat ex sese malorū, quàm ut ferri possit, tamē maximam malorū partem ipsi sibi accersunt demētes. Tanta cæcitas humanos animos occupat, ut nihil horū perspiciat. sic præcipites aguntur, ut omnia naturæ Christi q; uincula, omnia foedera rumpāt, dissecent, diffringant. Pugnat passim atq; assidue, nec modus, nec finis. Colliditur gens cum gente, ciuitas cum ciuitate, factio cum factione, princeps cū principe, & ob duorū hominū, qui mox uelut ephemera sint iterituri, seu stulticiā, seu ambitionē, res humanae sursum, ac deorsum miscētur. Missas faciā ueterum bellorū Tragœdias. Repetamus decem ab hinc annis acta, ubi non gentiū crudelissime pugnatum est terra, mariq;? Quæ regio non Christiano sanguine cōmaduit? Quod flumē, quod mare, non humano cruore tinctum est? Et ó pudor, pugnat immanius, quàm Iudæi, quàm



quàm Ethnici, quã fere. Quicquid bellorũ Iudæis gestum  
 est aduersus Allophylos, id Christianis gerendũ aduersus  
 uitia, quibus nunc uitijs conuenit, cũ hominibus bellũ est.  
 Et tamẽ Iudæos diuina iussio ducebat ad pugnã. Christianos,  
 si prætextibus detractis, rem uere aestimes, trãuersos  
rapit ambitio, agit ira pessimus consultor, pertrahit habẽ  
 di nunquã satiata cupiditas. Atq; his ferè cum exteris res  
 orat, Christianus cũ Turcis foedus est, inter ipsos bellũ. Iã  
 Ethnicos tyrannos, fere gloriæ sitis ad bellũ extimulabat,  
 atq; hic tamen sic Barbaras atq; efferas nationes subige-  
 bant, ut uinci expediret, et uictor de uictis benemereri stu-  
 deret. Dabant operam, ut quã fieri posset, incruẽta esset  
 uictoria, quo simul & uictori honesta fama præmiũ esset,  
 & uictis solatiũ, uictoris benignitas. At pudet meminisse,  
 quã pudendis, quã friuolis de causis, Christiani principes  
 orbẽ ad arma cõcitent. Hic obsoletũ ac putrem aliquẽ titu-  
lum, aut reperit, aut cõmentus est. Quasi uero ita magni  
 referat, quis regnũ administret, modo publicis cõmodis re-  
 cte consulatur. Ille causatur omissum nescio quid in foedere  
 centum capitum. Hic illi priuatim infensus est, ob sponsam  
 interceptam, aut scomma liberius dictũ. Et quod est omni-  
 um sceleratissimum, sunt qui tyrãnica arte, quòd populi cõ-  
 cordia potestatẽ suã labefactari sentiant, dissidio stabiliri,  
 subornent qui data opera bellum excitent, quo simul &  
 conuinctos dirimant, & infelicem populum licentius expi-  
 lent, scelestissimi quidam, qui populi malis aluntur, & qui  
 bus pacis tempore, non multum est quod agant in Repu-  
 blica. Quæ Tartarica furia uenenum hoc in pectus Chri-

quale bellũ  
 Christianis  
 premissis

uictoria quæ  
 honesta

prætextus

PACIS QVERIMONIA

Christianum potuit immittere? Quis hanc tyrannidem docuit  
 Christicolas, quam nec Dionysius ullus, nec Mezentius ul-  
 lus nouit? Beluæ uerius quàm homines, & sola tyrannide  
 nobiles, nec usquã cordati nisi ad nocendum, nec unquam  
 cõcordes, nisi ad opprimendam Rempu. Et hæc qui gerūt:  
 pro Christianis habentur, audēt humano sanguine undiq;  
 polluti, ad sacras ædes, ad sacras aras accedere? O pestes  
 in extremas insulas deportandas. Si Christiani, corporis  
 unius membra sunt, cur non gratulatur quisq; alienæ felici-  
 tati? Nunc propè iusta mouendi belli causa uidetur, regnũ  
 finitimũ, rebus omnibus paulo florentius. Etenim si uerũ  
 fãteri uolumus, quid aliud commouit, & hodie commouet  
 tã multos ad armis laceßendũ Franciæ regnum, nisi quòd  
 est unum omniũ florētissimũ? Nullum latius patet, nusquã  
 senatus augustior, nusquã Academia celebrior, nusquam  
 concordia maior, & ob hoc ipsum potestas summa. Nus-  
 quã æque florēt leges, nusquã illibatio religio, nec Iudæo-  
 rum commertio corrupta, uelut apud Italos, nec Turca-  
 rum aut Maranorũ uicinia infecta, quemadmodum apud  
 Hispanos & Hungaros. Germania, ne quid dicã de Bohœ-  
 mis, in tot regulos dissecta est, ac regni ne species quidẽ ul-  
 la. Sola Francia ceu flos illibatus Christiane ditionis, &  
 uelut arx quædã tutissima, si qua fors tẽpestas ingruat, tot  
 modis impetitur, tot artibus incessitur, nec ob aliud, nisi cu-  
 ius gratia conueniebat gratulari, si qua uena Christiane  
 mentis esset in istis. Atq; his tã impijs factis prætexitur ti-  
 tulus pius, sic sternunt uia ad propagandũ imperiũ Chri-  
 sti. O rem mōstrosam, parũ consultũ putāt Reip. Christia-  
 ne, nisi

*Callia Laus*

ne, nisi pulcherrimā, ac felicissimam ditionis Christiane partē subuerterint. Quid quòd in his tractādīs feras etiā ipsas feritate præcedunt? Non omnes pugnant beluæ, nec ferarū nisi in diuersum genus cōflictatio est, quæadmodū & ante diximus sæpius inculcandum, quo magis in hæreat animis. Vipera non mordet uiperam, nec Lynx lyncē dissecrpit. Ac rursum illæ cum pugnāt, suis pugnāt armis, Illas armauit natura, homines inermes natos, ó deū immortalē, qualibus armis armat ira? Tartareis machinis impetunt Christiani Christianos. Quis enim credat Bombardas, hominis inuentū esse? Nec ille tā densis agminibus in mutuū exitium ruūt. Quis unquā uidit decem leones cū decem tauris congregari? At quoties uiginti millia Christianorum, cū totidem Christianis ferro decertant? Tanti est ledere, tanti est haurire sanguinem fratrum. Nec illis ferè bellum est, nisi cū fames, aut cura sobolis in rabiem agit. At Christianis quæ tā leuis iniuria est, ut non uideatur idonea bellandi occasio? Si faceret ista plebes, ut cunq; prætexi poterat inscitia. Si iuuenes, excusari poterat ætatis imperitia. Si prophani non nihil eleuaret atrocitatem facti, personæ qualitas. Nunc ab ijs potissimum uidemus oriri bellorum semina, quorum consilio moderationeq; populi motus componi conueniebat. Contemptum illud & ignobile uulgus, condit egregias urbes, conditas ciuilitè administrat, administrando locupletat. In has irrepunt satrapæ, & ceu fuci, quod aliena partum est industria, surripiunt, & quod à plurimis bene congestum est, à paucis male dissipatur, quod recte conditum, crudelissime dirui-

b 5 tur.

*Bombarda*

PACIS Q VERIMONIA

tur. Quòd si prisca non meminerunt, repetat qui uolet, se-  
 cum hisce duodecim annis gesta bella. Causas expendat,  
 cōperiet omnia principum gratia suscepta, magno popu-  
 li malo gesta, cum ne tantillum quidem ad populum atti-  
 nerent. Iam quod olim foedū habebatur apud Ethnicos, ca-  
 niciem galea premere, ut inquit ille, id apud Christianos  
 laudi ducitur. Turpe senex miles Nasoni, & istis magnifi-  
 ca res est bellator septuagenarius. Imo ne sacerdotes qui-  
 dem ipsos pudet, quos olim Deus nec in sanguinaria illa et  
 inclementi lege Moysi, uoluit ullo sanguine pollui, non pu-  
 det Theologos Christianæ uitæ magistros, non pudet abso-  
 lutæ religionis professores, non pudet episcopos, non pu-  
 det Cardinales & Christi uicarios, eius rei autores, ac fa-  
 ces esse, quā Christus tantopere detestatus est? Qui conue-  
 nit mitræ & galeæ? Quid pede cum gladio? Quid Euan-  
 gelico codici cum clypeo? Qui conuenit pacis omine salu-  
 tare populum, & orbem ad turbulentissimas pugnas con-  
 citare? pacem dare lingua, re bellum immittere? Tun' eo-  
 dem ore quo Christum pacificum prædicas, bellū laudas,  
 eademq; tuba Deum canis & Satanam? Tun' apud concio-  
 nem sacram, cuculla tectus, ad cædē incitas simplicem po-  
 pulum, qui ex ore tuo doctrinam expectabat Euangelicā?  
 Tun' apostolorum occupās locum, pugnantia doces cum  
 apostolorum præceptis? An non uereris, ne quod de Chri-  
 sti præconibus dictum est, Quam speciosi pedes nuncian-  
 tium pacem, nunciantium bona, nunciantium salutem, in-  
 diuersum uertatur, Quam foeda lingua sacerdotū, adhor-  
 tantium ad bellum, incitantium ad mala, prouocantium  
 ad perniciem?

*in clera*

ad perniciē? Apud Romanos adhuc impie pios, qui ponti-  
 ficatum maximū iniret, ex more cōfirmabat iureiurādo,  
 se manus ab omni sanguine puras seruatorum, adeo ut ne-  
 lesus quidem ulcisceretur. Atq; huius sacramēti fidem cō-  
 stanter pręstitit Titus Vespasianus, imperator Ethnicus,  
 idq; laudi datur à scriptore Ethnico. At ò prorsus subla-  
 tam à rebus humanis frontem, apud Christianos Deo dica-  
 ti sacerdotes, & qui his quoq; sanctius aliquid præ se fe-  
 runt monachi, ad cædes, ad strages inflammant. Et euāge-  
 lij tubam, Martis tubam faciunt, obliti dignitatis suę sur-  
 sum ac deorsum cursitant, nihil non tum faciunt tum pati-  
 untur, dū bellū excitent, & per hos principes alió qui for-  
 tassis quieturi, ad pugnā inflammātur, quorū autoritate tu-  
 multuantes sedari conueniebat. Imò quod prodigiosius,  
 belligerātur ipsi, idq; earū rerū gratia, quas & apud im-  
 pios contēpsere philosophi, quarumq; contēptus propri-  
 us, ac peculiaris est uiris Apostolicis. Ante paucos annos,  
 cum fatali quodā morbo mūdus ad arma raperetur, Euan-  
 gelici præcones, hoc est, Minores ac Prædicatores è sug-  
 gestu sacro classicum canebāt & ultro ad furiam propēsos  
 magis accendebāt. Apud Britannos animabant in Gallos,  
 apud Gallos animabāt in Britānos. Omnes ad bellum insti-  
 gabāt. Ad pacē nemo prouocabat, præter unū aut alterū,  
 quibus penē capitale fuit me uel nominaße. Cursitabāt ul-  
 tro citroq; sacrosancti præsules, & dignitatis & profes-  
 sionis suę obliti publicū orbis morbū opera sua exacerbā-  
 tes. tū hinc Iuliū pontificē Romanum, hinc Reges ad matu-  
 randum bellum instigantes, perinde quasi non satis ipsi  
 sua

PACIS Q VERIMONIA

sua sponte insanirent, & tamen hanc manifestariam insa-  
niã magnificis titulis præteximus. Huc patrum leges, huc  
 piorum hominũ scripta, huc arcana scripturæ uerba im=  
 pudentiſſime detorquemus, ne dicã impie. Imò iã eo propè  
 redijt res, ut stultum & impiũ sit aduersus bellum hisce=  
 re, & id laudare, quod solum ore Christi laudatũ est. Pa=  
 rum consulere populo, parũ fauere principi uidetur, qui  
 suaserit rem omnium saluberrimã, & ab omnium pestilẽ  
 tiſſima dehortetur. Iã ipsa castra sequuntur sacrifici, præ  
 sunt in castris Episcopi, & relictis ecclesijs suis, Bellonæ  
 rem agunt. Imò gignit iã bellum sacerdotes, gignit episco  
 pos, gignit Cardinales, quibus Campi legatus honorificis  
titulis & apostolorũ successoribus dignus habetur. Quo  
 minus mirum, si Martem spirãt, quos Mars genuit. Et quo  
 malum sit insanabilius, tantam impietatem pietatis specie  
 prætexunt. Vexilla crucem habent. Miles impius, & num  
 mis aliquot ad lanienam, ac cædem conductus, crucis insti=  
 gne præfert, & belli symbolum est, quod solum dedoce=  
 re bellum poterat. Quid tibi cum cruce scelerate miles?  
 istis animis, istis factis, dracones, tigrides, ac lupi conuc=  
 niebãt. Istud signum eius est, qui non pugnãdo, sed mori=  
 endo uicit, qui seruauit nõ perdidit, quodq; cum primis ad  
 monere te poterat, cum quibus hostibus tibi res sit, si mo  
 do Christianus es, & qua ratione uincendum sit. Tu salu=  
 tis insigne gestas, ad fratris perniciem properans, &  
 cruce perdis, qui cruce seruatus est? Quid quod ab arca  
 nis illis & adorandis sacris, nam hæc quoq; pertrahũtur  
 in castra, in quibus in primis summa Christianorum con=  
 cordia

abusus

cordia representatur, curritur in aciem, dirū ferrum in fratris viscera stringitur, et facinoris omnium sceleratissimi, quo nō aliud esse potest impijs spiritibus gratius, Christum faciunt spectatorem, si tamē illic dignatur adesse Christus. Deniq; quod est omnium absurdissimū in utrisq; castris in utraq; acie, crucis signū relucet, in utrisq; sacra. Quid hoc monstri est? pugnat crux cū cruce, Christus aduersus Christū belligeratur. Hoc signum Christiani nominis hostes terrere solet. Cur nunc oppugnant, quod adorāt? homines non una digni cruce, sed uera. Quæso, quid in hisce sacris orat miles, Pater noster? Os durum, audes cū appellare patrem, qui fratris tui iugulum petis? Sanctificetur nomen tuū, Qui magis dehonestari poterat nomen Dei, quā istiusmodi inter uos tumultibus? Adueniat regnū tuū: Sic oras, qui tāto sanguine tyrannidē tuā moliris? Fiat uoluntas tua, quemadmodū in cælo, ita & in terra, pacē uult ille, & tu bellū paras? Panē quotidianum à cōmuni Patre petis, qui fraternas exuris segetes, & tibi quoque mauis perire, quā illi prodesse? Iam quōnam ore dices illud? Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, qui ad parricidium festinas? Deprecaris periculum tentationis, qui tuo periculo fratrem in periculum pertrahis? A malo liberari postulas, cuius instinctu, summum malum fratri machinaris? Plato negat appellandum bellum, quod Græci moucāt aduersus Græcos. Seditio est, inquit. Et istis sanctū etiam bellum est, quod ob quaslibet causas tali milite, talibus armis, cū Christiano gerit Christianus? Ethnicorum leges, culeo insutum in profluentem abijciunt,

PACIS QVERIMONIA

abijciunt, qui ferrum fraterno sanguine imbuerit. An minus fratres sunt, quos Christus copulauit, quàm quos sanguinis propinquitas? Et tamen hic præmiũ est paricidio. O' miseram bellantium sortem. Qui uincit, paricida est, qui uincitur, perit. nihilo seãus paricidio obnoxius, quod paricidium conatus est. Et post hæc execrantur Turcas uelut impios, & à Christo alienos, quasi uero cum hæc agunt, ipsi Christiani sint, aut quasi Turcis ullum spectaculum exhiberi possit iucundius, quàm si conspiciant illos mutuis telis sese confodientes. Immolant Turcæ dæmonibus, at cum his nulla uictima sit acceptior, quàm si Christianus mactet Christianum, quæso, quid aliud facis quàm illi? Tum enim gemina fruuntur hostia Spiritus impij, cum pariter & qui mactat, & qui mactatur, fit uictima. Si quis Turcis fauet, si quis amicus est dæmonibus, hostias huiusmodi frequenter offerat. Sed audio iam dudũ, quid excusent homines in suum ipsorum malum ingeniosi. Cogi sequeruntur, & inuitos ad bellum pertrahi. Detrahe personam istam, abijce fucos, tuum ipsius pectus consule, reperies iram, ambitionẽ, stulticiam huc pertraxisse, nõ necessitatem. Nisi forte hac fine necessitatem metiris, si non per omnia satis fiat animo. Ad populũ phaleras, Deus fucis nõ deluditur. Atq; interea solennes aguntur supplicationes, magnis clamoribus petitur pax, uociferantur immani boatu, ut pacẽ nobis dones, te rogamus, audi nos. Nonne iure optimo Deus istis respõderit, Quid me ridetis? Rogatis ut depellã, qd' ipsi uobis accersitis uolẽtes. Deprecamini, cuius ipsi uobis estis autores. Si quælibet offensa bellũ parit,

cui

*Deus izni deb*



cui tandē non est quod queratur? Inter uxore & maritū  
 incidunt, ad quæ sit conuiuendū, nisi malis dirimi beneuo=  
 lentiā. Quòd si quid eiusmodi sit ortū inter principes, qđ  
 opus erat mox ad arma rapi? Sunt leges, sunt homines eru=  
 diti, sunt uenerandi Abbates, sunt reuerēdi Episcopi quo=  
 rum salubri consilio tumultus rerum cōponi poterat. Cur  
 non hos potius arbitros faciūt, quos haud possint tam ini=  
 quos nancisci, quin minore malo discessuri sint, quàm si ar=  
 mis experiantur? Vix ulla tam iniqua pax, quin bello uel  
 æquissimo sit potior. Prius expende singula, quæ bellū uel  
 postulat, uel adducit, & quantū lucri feceris intelliges. Sū=  
 ma Romani Pontificis autoritas. Ast cum gentes, cū prin=  
 cipes impijs bellis tumultuantur, idq; annos aliquot, ubi tū  
 Pontificum autoritas, ubi potestas Christo proxima? Hic  
 certe erat expromenda, nisi ipsi similibus tenerētur cupi=  
 ditatibus. Vocat Pontifex ad bellū, paretur. Vocat idē ad  
 pacem cur nō obtemperatur itidē? Si pacem malunt, cur  
 Iulio bellandi autori tam alacriter obeditum est, Leoni ad  
 pacem & concordiam prouocāti, uix quisquā obtempe=  
 rat? Si uero sacrosancta est Romani Pontificis autoritas,  
 certe maxime ualere par est, quoties ad id prouocat, quod  
 unice docuit Christus. Cæterum quos Iulius ad bellū exti=  
 tiale potuit excitare, cum Leo sanctissimus Pontifex, non  
 idem possit, tot modis ad Christianam concordiam prouo=  
 cans, declarant sese, Ecclesiæ pretextu, suis seruisse cupi=  
 ditatibus, ne quid dicam acerbius. Si ex animo tædet bello=  
 rum, dabo consilium, quo cōcordiam tueri possitis. Solida  
 pax haud constat affinitatibus, haud fœderibus hominū,  
 ex quibus

PACIS Q VERIMONIA

ex quibus frequenter exoriri bella uidemus. Repurgandi fontes ipsi, unde malū hoc scatet, graue cupiditates tumultus istos pariunt. Et dum quisq; suis inseruit affectibus, interim affligitur Respublica, nec tamē asequitur hoc ipsū quisq; quod malis rationibus affectat. Sapiant principes, & populo sapiant, non sibi, ac uere sapiant, ut maiestatem suā, ut felicitatem, ut opes, ut splendorem his rebus metiantur, quæ uere magnos & excellētes faciunt. Sint eo animo erga Rempubicam, quo pater erga familiā. Ita se magnū existimet rex, si quā optimis imperet, Ita felicem, si suos felices reddiderit, Ita sublimem, si quā maxime liberis imperet, Ita opulentum, si populum habeat opulentū, Ita florentem, si ciuitates perpetua pace florentes habeat. Atq; hunc principis animum imitentur proceres ac magistratus, omnia Rcipublicæ commodis metiantur, & hac uia rectius suis consuluerint cōmodis. Rex qui hoc sit animo, num is facile commouebitur, ut pecuniā a suis extorqueat, quam Barbaro militi numeret? Suos ad famam adiget, ut impios aliquot duces ditet? Num is suorum uitam tot periculis obijciet? Non opinor. Haftenus exerccat imperiū, ut meminerit se hominem imperare hominibus, liberum liberis, postremo Christianum Christianis. Huic uicissim tantum deserat populus, quatenus ad publicam utilitatem conducit. Non aliud exiget bonus princeps. Mali uero cupiditates retundet ciuium consensus. Absit utrinq; priuati commodi ratio. Plurimū honoris habeatur ijs, qui bellum excluserint, qui concordiam restituerint ingenio cōsiliōue suo. Deniq; qui hoc modis omnibus moliatur, non ut

maximam

*Rex magnus  
quis*

maximā militum, ac machinarū uim comparet, sed ut ijs  
 non sit opus. Quod pulcherrimū facinus, tot imperatorū  
 unus Diocletianus animo concepisse legitur. Quòd si bel-  
 lum uitari non potest, ita geratur, ut summa malorū in eo-  
 rum capita recidat, qui belli dedere causas. Nunc princi-  
 pes tuti belligerātur, ductores hinc crescunt, maxime ma-  
 lorū pars in agricolas, ac plebem effunditur, ad quod nec  
 attinet bellū, nec ipsi belli causam ullam dederūt. Vbi prin-  
 cipis sapientia, si hæc nō perpendit? ubi principis animus,  
 si hic leuiter ducit? Inuenienda ratio, qua fiet ne toties mu-  
 tentur, ac uelut obambulent imperia, quod omnis rerū no-  
 uatio tumultū gignat, tumultus bellū. Id facile fiat, si regū  
 liberi, intra ditionis fines elocentur, aut si quem libeat fini-  
 timis adiungere, spes omnibus successionis præcisa esto.  
 Nec fas sit principi ditionis portionem ullam uendere aut  
 alienare, perinde quasi priuata sint prædia, liberæ ciuita-  
 tes. Nam liberæ sunt quibus rex imperat. Seruiūt quos ty-  
 rannus premit. Nūc huiusmodi matrimoniorū uicibus fit,  
 ut apud Hybernos natus, repente imperet Indis, aut qui  
 modo Syris imperabat, subito rex sit Britannia. Fitq; ut  
 neutra regio principē habeat, dum priorē relinquit, & à  
 posteriore non agnoscitur, nimirū ignotus, alioq; mundo  
 natus. Atq; interim dum illud parit, dum euincit, dum sta-  
 bilit, alterum exhaurit proteritq;, nonnunquam amittit  
 utrunq;, dum utrunq; complecti studet, uix alteri admi-  
 nistrando idoneus, semel inter principes conueniat, quid  
 quisq; debeat administrare, ac ditionis fines semel datos,  
 nulla proferat aut contrahat affinitas, nulla cōuellant foe-  
 c dera. ita

## PACIS QVERIMONIA

dera. ita suã quisq; portionẽ enitetur quã potest ornatissi-  
 mam reddere, dum in unã omne studiũ intendet, hanc co-  
 nabitur rebus optimis locupletatã suis liberis relinquere.  
 Atq; hoc sanẽ pacto futurum est, ut ubiq; floreat omnia.  
 Ceterũ inter sese, non affinitatibus, aut facticijs sodalitati-  
 bus, sed sincera puraq; amicitia copuletur, maximeq; si-  
 mili cõmuniq; studio benemerẽdi de rebus humanis. Prin-  
 cipi uero succedat, uel qui genere proximus, uel qui popu-  
 li suffragijs maxime iudicabitur idoneus. Ceteris sat sit,  
 inter honestos haberi proceres. Regium est nescire priua-  
 tos affectus, & omnia publicis cõmodis aestimare. Ad hæc  
 longinquas peregrinatiões uitet princeps, imò Pomœria  
 regni nunquã transire uelit, memincritq; dicti longo secu-  
 lorũ consensu probati, Frons occipitio prior est. Locuple-  
 tatũ se existimet, non si quid alijs ademerit, sed si sua red-  
 diderit meliora. Cum de bello agitur, ne adhibeat in consi-  
 liũ iuuenes, quibus idco bellũ placet, quod experti nõ sunt  
 quãtum habeat malorũ, neue eos, quibus expedit turbari  
 publicam tranquillitatẽ, quiq; populi calamitatibus alun-  
 tur, ac signãtur. Senes cordatos & integros accersat, &  
 quorũ pietas patrie spectata sit. Nec temere ad unius aut  
 alterius libidinem bellum moueatur, quod semel coeptum,  
 haud facile finitur. Res omniũ periculosissima, nõ nisi to-  
 tius populi consensu suscipiatur. Belli cause statim prædi-  
 cende sunt. Ad quaedam cõniendum, comitas comitatem  
 inuitabit. Nõnunquam emenda pax. Ea si ratione subdu-  
 xeris, quid bellum fuerit exhausturũ, & quot ciues ab exe-  
 tio serues, paruo empta uidebitur, etiamsi magno emeris.

Quando

Quando præter ciuium tuorum sanguinem, plus erat bello impendendum. Incas rationem, quatum malorum uitaris, quatum bonorum tuearis, et impedij non poenitebit. Fungantur interim suo officio præsules, Sacerdotes uere sint Sacerdotes. Monachi professionis suæ meminerint. Theologi quod Christo dignum est, doceant. Conspirent omnes aduersus bellum, in hoc latrent omnes. Pacem publice priuatimque prædicent, efferant, inculcent. Tum si minus possint efficere, ne ferro decernatur, certe ne probent, ne intersint, ne rei uel tam sceleratæ, uel certe tam suspectæ, ipsis autoribus honos habeatur. Satis sit in bello cæsis, in prophano sepulchrum dari. Si qui boni sunt in hoc genere, qui certe paucissimi sunt, non ob hæc fraudabuntur suo præmio. Ceterum impij, quæ maxima turba est, minus sibi placebunt, honore detracto. De his bellis loquor, quæ uulgo Christiani cum Christianis committunt. Nec enim idem sentio de his, qui simplici pioque studio uim incurstantium Barbarorum depellunt, et suo periculo publicam tranquillitatem tuentur. Nunc trophæa sanguine tincta eorum, pro quorum salute CHRISTVS suum fudit sanguinem, reponuntur in templis, inter apostolorum ac martyrum statuas, quasi post hæc pium sit futurum, non fieri martyres, sed facere. Abunde magnam erat hæc in foro, aut armario quopiam reposita seruari. in sacras ædes, quas purissimas esse decet, nihil recipi conuenit, quod sanguine sit inquinatum. Sacerdotes Deo sacri, nusquam adsint, nisi ad dirimenda bella. In hæc si consentiant, si eadem ubique inculcent, plurimum habitura momenti est. Quod si hic fatalis est humani

## PACIS QVERIMONIA

ingenij morbus, ut prorsus absque bellis durare nequeat, quin potius malum hoc in Turcas effunditur? tametsi præstabat & hos doctrina, bene factis, uiteq; innocentia, ad Christi religionem allicere, quàm armis adoriri. Attamen si bellum, ut diximus, omnino uitari non potest, illud certe leuius sit malum, quàm sic impie Christianos inter se committi, collidiq;. Si mutua charitas illos non adglutinat, certe coniunget utcunq; cõmunis hostis, & qualiscunq; syncretismus erit, ut absit uera concordia. Postremo magna pars pacis est, ex animo uelle pacem. Quibus enim pax uere cordi est, hi omnes pacis occasiones arripiunt, quæ obstant, aut negligunt, aut amoliuntur. permulta ferunt, dum tantum bonũ sit incolume. Nunc ipsi bellorum seminaria quæerunt, quod ad concordiam facit, eleuant, aut dissimulant etiam. quod ad bellum tendit, ultro exaggerant, exulcerantq;. Pudet referre, ex cuiusmodi nugis, quantas excitent tragœdias, & ex quàm minuta scintillula, quæ rerum tempestates exoriantur. Tunc illud iniuriarũ agmen uenit in mentem, & suum quisq; malum sibi exaggerat. At benefactorum interim profunda obliuio, ut iures affectari bellum. Et sæpe principum priuatum quiddam est, quod orbem ad arma compellit. At plusquàm publicum esse debet, ob quod bellum suscipiatur. Quin ubi nihil subest causæ, ipsi dissidiorum causas sibi fingunt, regionũ uocabulis ad odiorum alimoniã abutentes, & hunc stultæ plebis errorem alunt magnates, & in suũ abutuntur compendium, alũt sacerdotes quidam. Anglus hostis est Gallo. nec ob aliud, nisi quòd Gallus est. Scoto Britãnus infensus est, nec aliam

*inimicitia  
Populorũ*

*ob aliud, nisi quòd Gallus est. Scoto Britãnus infensus est, nec aliam*

nec aliã ob rem, nisi quòd Scotus est. Germanus cum Fran-  
co dissidet, Hispanus cum utroq; . O prauitatem, Disiun-  
git inane loci uocabulũ, Cur non potius tot res conciliantẽ  
Male uis Britãnus Gallo. Cur non potius bene uis homo ho-  
mini? Christianus Christiano? Cur res friuola plus apud  
istos potest, quã tot naturæ nexus? tot Christi uincula? Lo-  
cus corpora dirimit, non animos. Separabat olim Rhenus  
Gallum à Germano, at Rhenus nõ separat Christianum à  
Christiano. Pyrenei montes Hispanos ab Italis seiungunt,  
at ijdem non dirimũt Ecclesiæ cõmunionẽ. Mare dirimit  
Anglos à Gallis, at non dirimit religionis societate. Paulus  
Apostolus indignatur audire inter Christianos has uoces,  
Ego sum Apollo, ego sum Cephæ, ego sum Pauli, nec im-  
pia cognomina sinit secare Christũ omnia conciliantẽ, &  
nos cõmune patriæ uocabulum grauẽ causam iudicamus,  
cur gens in gentis internicionẽ tendat? Ne id quidem satis  
nõnullorũ animis bellorũ auidis, prauæ dataq; opera dissi-  
diorum ansas quærũt, ipsam diuidũt Galliam, & ea uoca-  
bulis distrahũt, quæ nec maria, nec montes, nec uera regio-  
num noĩa distrahunt. E' Gallis Germanos faciũt, ne uel no-  
minis cõsortio coalescat amicitia. Si in actionibus odiosis,  
uelut diuortij, nec litem facile recipit iudex, nec quamlibet  
admittit probationẽ, cur isti in re omniũ odiosissima quam-  
libet friuolam causam admittunt? Quin potius id quod res  
est cogitant, mundum hunc cõmunem esse patriam omni-  
um, si patriæ titulus conciliat. ab ijsdem maioribus ortos  
omneis, si facit amicos sanguinis affinitas, Ecclesiam unã  
esse familiam, ex æquo communem omnibus, si domus eadẽ

## PACIS QVERIMONIA

dem copulat necessitudines, in hac partem ingeniosos esse par est. Toleras quædam in socero, non ob aliud nisi quod socer est, & nihil toleras in eo, qui religionis consortio frater est? Multa condonas generis propinquitati, & nihil condonas affinitati religionis? Certe nullum uinculum arctius alligat, quàm Christi sodalitas. Cur id solū ob oculos obuersatur, quod animum exulcerat? Si paci faues, sic cogita potius, in hoc læsit, sed sæpe aliàs profuit, aut alieno impulsu læsit. Postremo, quemadmodum apud Homerum disidij causas, quod inter Agamemnonem & Achillem intercesserat, in Aten deam reijciunt, qui uocant ad concordiam. ita quæ excusari non possunt, aliquando fati impudentur, aut malo cuiquam si libet Genio, & in hæc odiū ab ipsis hominibus transferatur. Cur magis ad perniciem suam sapiunt, quàm ad tuendam felicitatem? Cur ad malum, quàm ad bonū sunt oculatiores? Qui paulo cordatiores sunt, expendūt, consyderant, circumspiciunt, priusquam priuatū quoq; negociū aggrediātur. Et clausis oculis præcipites in bellū ipsi sese conijciunt, præsertim cū semel admissum, excludi non possit. quin è pusillo fit maximum, ex uno plura, ex incruento cruentum. Maxime cum hæc procella, non unū aut alterum affligat, sed uniuersos pariter inuoluat. Quod si vulgus hæc parū expendit, certe principis & optimatum partes sunt, hæc secum reputare. Sacerdotum est ista rationibus omnibus infulcire, uolentibus ac nolentibus ingerere. Hærebunt tandem si nusquam non audiantur. At bellum gestis? primū inspice, cuiusmodi res sit pax, cuiusmodi bellum, quid illa bonorū, quid hoc ma-

lorum

*Ate causa  
disidiorū*



lorū secum uehat, atq; ita rationē in eas, num expediat pā-  
 cem bello permutare, Si res quaedam admirabilis est, re-  
 gnū undiq; rebus optimis florens, bene conditis urbibus,  
 bene cultis agris, optimis legibus, honestissimis discipli-  
 nis, sanctissimis moribus, cogita tecum, hæc felicitas mihi  
 perturbanda est, si bello. Contra si quando conspexisti rui-  
 nas urbium, dirutos uicos, exusta phana, desolatos agros,  
 & id spectaculū miserandū, ut est, uisum est, cogita hunc  
 esse belli fructum. Si graue iudicas sceleratā conductio-  
 rum militum colluuiem in tuā regionem inducere, hos ci-  
 uium tuorum malo alere, his inferuire, his blandiri, imō  
 horum arbitrio te ipsum, ac tuam columitatem commit-  
 tere, fac cogites hanc esse belli conditionem, si abomina-  
 ris latrocinia, hæc docet bellum, si execraris paricidium,  
 hoc in bello discitur. Nam qui uereatur unum occidere  
 cōmotus, qui leui autoramento conductus tot homines iu-  
 gulat? Si presentissima Reipub. pestis est, legum negle-  
 ctus, silent leges inter arma. Si foedum existimas stuprū,  
 incestum, & his turpiora, horum omnium bellum magi-  
 ster est. Si fons omnium malorum est impietas, & religio-  
 nis neglectus, hæc belli procellis prorfus obruitur. Si iu-  
 dicas pessimum esse Reipub. statum cum plurimum pos-  
 sunt, qui pessimi sunt, in bello regnant sceleratissimi, &  
 quos in pace suffigas in crucem, horum in bellis prima-  
 ria est opera. Quis enim melius per deuia ducet copias,  
 quā latro exercitatus? Quis fortius diripiet ædes, aut  
 spoliabit templa, quā parietum perfossor, aut sacrilegus?  
 Quis animosius feriet hostem, & hauriet ferro uitalia,  
 c 4 quā

*belli fructus*

## PACIS Q VERIMONIA

quã gladiator, aut paricida? Quis æque idoneus ad ini-  
ciendum ignem urbibus, aut machinis, quã incendiarius?  
Quis æque contēnet fluctus, marisq; discrimina, ac pira-  
ta diutinis prædationibus exercitus? Vis palam cernere,  
quã res sit impia bellū, animaduerte per quos geritur. Si  
pio principi nihil antiquius esse debet, quã suorum inco-  
lunitas, huic bellum in primis inuisum sit, oportet. Si prin-  
cipis felicitas est imperare filiabus, pacem potissimum  
amplecti debet. Si præcipue optandum bono principi, ut  
imperet quã optimis, bellum detestetur oportet, unde  
scatet omnis impietatis sentina. Si suas opes esse putet  
quicquid ciues possident, bellum omnibus rationibus ui-  
tet, quod ut felicissime cadat, certe facultates omnium at-  
terit, & quod honestis artibus partum est, in immanes  
quosdam carnifices erogandum. Iam illud etiam atq; etiã  
perpendant, suam cuiq; blandiri causam, & suam cuique  
spem arridere, cū illa sepe numero pessima sit, quæ com-  
moto uideatur æquissima, & hæc non raro fallit. Sed fin-  
ge causam iustissimam, finge exitum belli prosperrimum  
rationem fac in eas, omniū incommodorū quibus gestum  
est bellū, & commoditatum quas peperit uictoria, & ui-  
de num tanti fuerit uincere. Vix unquã uictoria contingit  
incruenta. Iam habes tuos humano sanguine pollutos. Ad  
hæc supputa morum, publicæq; disciplinæ iacturã, nullo  
compendio sarcierendã. Exhaustis tuum fiscum, expilas po-  
pulū, oneras bonos, ad facinus excitas improbos, neq; ue-  
ro confecto bello, protinus & belli reliquiæ sopitæ sunt.  
Obsolescunt artes, includuntur negociatorum cōmertia.  
Vt hostē

Ut hostē includas, prius temetipsum à tot regionibus co-  
 geris excludere. Ante bellū omnes finitimæ regiones tuæ  
 erant, pax enim rerū cōmercijs facit omnia cōmunia. Vi-  
 de quantam rē egeris, nūc uix tua est, quæ maxime tua est  
 ditio. Ut oppidulū excindas, quot machinis, quot tentorijs  
 opus est? Imitaticia urbem facias oportet, ut uerā euertas,  
 at minoris aliud uerum oppidum extrui poterat. Ne lice-  
 at hosti prodire ex oppido, tu exul à patria sub dio dor-  
 mis. Minoris constaturum erat, edificare noua mœnia,  
 quàm edificata machinis demoliri. Ut ne computem hic,  
 quod pecuniarū effluit inter exigentium, recipientiū ac du-  
 cum digitos, quæ sanè pars est non minima. Quod si ho-  
 rum singula ad uerum calculū reuoces, ni compereris de-  
 cima impendiorū parte pacē redimi potuisse, patiar æquo  
 animo me profligari undique. Sed parum excelsi animi ti-  
 bi uidcare, si quid remittas iniuriarum, immo nullum est  
 certius argumentum humilis animi, minimeq; regij, quàm  
 ulcisci. Maiestatī tuæ non nihil decedere putas, si cum fini-  
 timo principe agens, & fortasse cognato, aut affini, for-  
 tassis aliās bene de te merito, de tuo iure decedas aliquan-  
 tulum. At quanto humilius deijcis maiestatem tuam, dum  
 barbaris cohortibus, & infimæ sceleratorum fæci, nun-  
 quam explendæ auro subinde litare cogaris? dum ad Ca-  
res uilissimos, simul ac nocentissimos blandus ac supplex  
 mittis legatos, dum tuum ipsius caput, dum tuorum fortu-  
 nas, illorum credis fidei, quibus nihil est, neq; pensi, neq;  
 sancti. Quòd si quid iniquitatis uidebitur habere pax, ca-  
 ue sic cogites, hoc perdo, sed tanti pacem emo. At dixerit

PACIS Q VERIMONIA

argutior aliquis, Facile donarim, si res ad me priuatim  
 pertineat. Princeps sum, negocium publicum, uelim no-  
 lim, ago. Non facile bellum suscipiet, qui nihil nisi publi-  
 cum spectat. Atqui contra uidemus omneis belli causas ex  
 his rebus nasci, quæ nihil ad populū pertineant. Vis hanc  
 aut illam ditionis partem uindicare? Quid istud ad popu-  
 li negocium? Vis ulcisci, qui filia renunciauit, quid hoc  
 ad Rempublicam? Hæc expendere, hæc perspicere, uere  
 sapientis, uereq; magni est principis. Quis unquam aut  
 latius imperauit, aut splendidius Octauio Augusto? At is  
 cupiebat etiam deponere imperium, si quem uidisset Rei  
 publicæ magis salutarem principem. Merito laudata est  
 ab egregijs autoribus uox illa cuiusdã Imperatoris, Per-  
 eant, inquit, filij mei, si quis alius melius sit Reipublicæ cõ-  
 sulturus. Hos animos Reipub. præstiterunt homines im-  
 pij, quod ad Christi religionem attinet, & Christiani  
 principes usq; adeo uilem ducunt populum Christianum,  
 ut grauisimo orbis incendio priuatas suas cupiditates, uel  
 ulcisci uelint, uel explere? Iam audio quosdam ita tergiuer-  
 santes, ut negent se tutos esse posse, nisi uim improborum  
 acriter propellant. Cur igitur inter innumeros Impera-  
 tores Romanos soli Antonini, Pius & Philosophus peti-  
 ti non sunt? Nisi quod nemo tutius regnat, quã qui para-  
 tus est & deponere, utpote quod Reipu. gerat, non sibi.  
 Quod si nihil uos mouet, neq; naturæ sensus, neq; pietatis  
 respectus, neq; tanta calamitas, certe Christiani nominis  
 probrū, animos uestros in cõcordiã redigat. Quota mūdi  
 portio tenetur à Christianis? Atq; hæc tamẽ est illa ciui-  
 tas in

*notu egregijs  
 Cruciis*

tas in edito monte sita, spectaculum facta Deo & hominibus. At quid sentire putandum est, quid loqui, quæ probra in Christum euomere Christiani nominis hostes, ubi uident Christianos sic inter sese concertare, leuioribus de causis, quàm Ethnici, crudelius quàm impij, machinis tetrioribus quam ipsi? Quorum inuentum est bombardæ? Nonne Christianorū? Et quo res sit indignior, his induntur Apostolorū noīa, insculpuntur imagines. O' crudelis irrisio. Paulus ille pacis hortator perpetuus, Tartareā machinā torquet in Christianum? Si cupimus Turcas ad Christi religionem adducere, prius ipsi simus Christiani. Nunquā hoc illi credent, si quod est, perspiciant nusquam magis scire, quàm apud Christiāos, id quod Christus unū omnium maxime detestatus est. Et quod Homerus Ethnicus demiratur in Ethnicis, cum suauium etiam rerum satietas sit, somni, cibi, potus, choreæ, musices, belli infelicis nullam esse satietatem. id apud eos uerissimum est, quibus ipsum etiam belli uocabulum abominandum esse oportuit. Roma furiosa quondam illa bellatrix, tamen Iani sui templum aliquoties uidit clausum. Et qui conuenit apud uos nullas esse bellandi ferias? Quonam ore prædicabitis eis Christū pacis autorē, ipsi perpetuis dissidijs inter uos tumultuantes? Iam quos putatis animos addit Turcis uestra discordia? Nihil enim facilius quàm uincere dissidentes. Vultis illis esse formidabiles? Concordes estote. Cur ultro uobis & præsentis uitæ iucunditatem inuidetis, & à futura felicitate uultis excidere? Multis malis per se obnoxia est uita mortalium, magnam molestiæ partem admet

miranda

templū Iani

PACIS Q VERIMONIA

met concordia, dum mutuis officijs alius alium, aut con-  
solatur, aut iuuat. Si quid boni obtinget, id tum suauius,  
tum communius reddet concordia, dum amicus impartit  
amico, & beneuolus bencuolo gratulatur. Quam friuola  
sunt, quanq; mox peritura, pro quibus inter uos tumul-  
tus est. mors omnibus imminet, non minus regibus, quam  
plebeijs. Quos tumultus ciet animalculum, mox fumi in  
morē euaniturum? In foribus adest eternitas. Quorsum  
attinet, pro rebus istis umbraticis, perinde moliri, quasi  
uita hæc esset immortalis? O' miseros, qui felicem illā pio-  
rum uitam non credunt, aut non sperant impudentes, qui  
sibi pollicentur, è bellis ad eam iter esse, cum illa nihil sit  
aliud, quā ineffabilis quædam felicium animorum commu-  
nio, cum iam ad plenum continget, quod Christus tã enixe  
rogauerat patrem cœlestem, ut sic inter se iungerentur il-  
li, quemadmodum ipse patri iunctus esset. Ad hanc sum-  
mam concordia, qui possitis esse idonei, nisi eam interim  
pro uirili meditemini? Vt non subito ex spurco heluone fit  
angelus, ita non subito ex bellatore sanguinario, marty-  
rum ac diuorum socius. Eia satis iam, superq; fusum est  
Christiani, si parum est, humani sanguinis, satis in mutua  
debauchatum exitia, satis hætenus Furijs, Orcoq; litatū,  
satis diuque Turcarum pascat oculos, acta est fabula. Sal-  
tem aliquando post nimium diu toleratas bellorū miseras  
resipiscite. Quicquid hætenus insanitū est, satis impute-  
tur, placeat Christianis, quæ quōdam prophanis placuit,  
superiorum malorum obliuio. posthac communibus con-  
silijs in pacis studium incumbite. Et sic incumbite, ut non  
stupeis

stupeis, sed solidis atq; adamantinis uinculis coeat, nun-  
 quã dirumpenda. Vos appello principes, de quorum nutu  
 potissimum pendet res mortaliũ, qui Christi principis ima-  
 ginem inter mortales geritis, agnoscite regis uestri uocẽ  
 ad pacem uocantis. existimate totum orbem diutinis fessum  
 malis, hoc à uobis flagitare. Si quid cui dolet etiam,  
 æquum est hoc publicæ omnium felicitati donare. Maius  
 est negociũ, quàm ut leuibus causis debeat retardari. Ap-  
 pello uos sacerdotes Deo sacri, hoc studijs omnibus ex-  
 primate, quod Deo gratissimum esse scitis. hoc depellite,  
 quod illi maxime inuisum. Appello uos Theologi, pacis  
 Euangeliũ prædicate, hanc semper popularibus auribus  
 occinite. Appello uos Episcopi, aliq; dignitate ecclesiasti-  
 ca præminentes, ad pacem æternis uinculis astringendam  
 uestra ualeat autoritas. Appello uos primates, & magi-  
 stratus, ut sapientiæ Regum, ut pietati Pontificum uestra  
 uoluntas sit adiutrix. Vos appello promiscue, quicumque  
 Christiano nomine censimini, consentientibus animis in  
 hoc conspirete. Hic ostendite quantum ualeat aduersus  
 potentum Tyrannidem multitudinis concordia. Huc pa-  
 riter omnes omnia sua conferant. Iungat æterna concor-  
 dia, quos tam multis rebus coniunxit natura, pluribus Chri-  
 stus. Communibus studijs agant omnes, quod ad omnium  
 ex æquo felicitatem pertinet. Huc inuitant omnia, primũ  
 ipse nature sensus, atq; ipsa, ut ita dicam, humanitas. De  
 inde totius humane felicitatis princeps & autor Christus  
 Ad hæc, tam multa pacis commoda, tot belli calamitates.  
 Vocant huc ipsi principum animi, iam uelut afflante Deo:  
 ad con-

PACIS · QVERIMONIA

ad cōcordiā propensi. En pacificus ille, placidusq; LEO,  
 signum omnibus extulit, ad pacem inuitans, uereq; Chri-  
 sti uicarium agens. Si uere oues estis, sequimini pastorem.  
 Si filij, audite patrem. Vocat ille non titulo tantum Chri-  
 stianissimus Galliarum Rex Franciscus, qui pacem nec  
 emere grauat, nec usquam suæ maiestatis habet ratio-  
 nem, modo publicæ paci consulat. hoc deniq; uere splen-  
 didum ac regium esse docens, de genere humano quàm  
 optime mereri. Vocat huc clarissimus princeps CARO-  
 LV S, incorruptæ indolis adolescens. Nec abhorret Cæ-  
 sar MAXIMILIANVS, Nec detractat inclytus  
 Angliæ Rex Henricus. Tantorum principum exemplum,  
 ceteros libenter imitari par est, Maxima plebis pars bel-  
 lum detestatur, pacem orat. Pauculi quidam modo, quorū  
 impia felicitas à publica pendet infelicitate, bellum optāt.  
 Quorum improbitas, ut plus ualeat, quā bonorum omniū  
 uoluntas, æquum sit, nec ne, uos ipsi expendite. Videtis ha-  
 ctenus nihil actum foederibus, nihil promotum affinitati-  
 tibus, nihil ui, nihil ulciscendo. Nunc contra periculum fa-  
 cite, quid possit placabilitas, quid beneficentia. Bellum è  
bello seritur, ultio trahit ultionem. Nunc gratia gratiam  
 pariat, & beneficium beneficio inuitetur, isq; regalior ui-  
 deatur, qui plus de suo iure concesserit. Nō successit quod  
 humanis studijs gestum est, at fortunabit ipse Christus pia  
 concilia, quæ se autore & auspice uiderit suscipi. Aderit  
 dexter, aspirabit, fauebitq; fauentibus ei rei, cui fauit ipse  
 plurimum, priuatos affectus publica uincat utilitas. Quā  
 quam dum huic consulitur, & sua cuiq; fortuna melior  
 reddetur,



DES. ERAS. ROTE. AVTORE. 24  
reddetur, principibus regnum erit augustius, si pijs ac fe-  
licibus imperent, ut legibus regnent magis quã armis, pro-  
ceribus, maior ueriorq; dignitas, sacerdotibus ocium  
tranquillius, populo quies uberior, & ubertas  
quietior, Nomen Christianum formidabili-  
us crucis hostibus. Deniq; singuli sin-  
gulis, & omnes omnibus cha-  
ri simul & iucundi eri-  
tis, sup omnia Chri-  
sto grati, cui pla-  
cuisse sum-  
ma fe-  
licitas est. DIXI.

F I N I S.

ARGENTORATI IOHANNES  
CNOBLOCHVS EXCVDEBAT,  
APVD TVRTVREM. MEN-  
SE NOVEMBRI ANNO  

---

M. D. XXIII.

Η Α Λ Η Θ Ε Ι Α :

ΝΟΥ ΟΥΛΑ ΕΡΟΥ



Θεός ἡρακλῆος πῶς πῶς ἀνιθίστη ἄρα


Verum, quum latebris delituit diu, emergit.




184/472

~~AB: A 54~~ 472

X2203938





OVERELA

PACIS VNDIQVE  
*gentium cicctæ proflī  
gate'que.*

AVTORE ERASMO  
ROTODAMO.

